
51






# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICA,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ Januarii, anno* M. DCC. XXXVII.

M. LUDOVICO-JACOBO PIPEREAU, Doctore Medico, Præside.

*Est-ne solus nervorum succus alibilis?*

I.



MOTU vivimus : motu deteruntur omnia : quare, ut perennet vita, detrita quævis reparari oportet. Istud est commune ratiocinium, ex quo desumitur nutritionis necessitas. Verum distinguenda nutritio duplex : partium consistentium una ; humorum altera. Quicquid est in corpore partium consistentium, materiæ vere solidæ mole minima stat. Reliqua, humores sunt. Horum igitur longe maxima copia est. Corpus autem magna, variis excretionibus,

dispendia indefinenter patitur. Humorum ergo ingens perpetim fit jactura ; quam sarciri opus est. Huic muneri præsto adest chylus, qui magna quotidie copia conficitur : succus, insigni partium suarum diversitate, singulos humores renovare aptissimus ; ideoque, quoad humores, vere nutritius. Horum itaque nutritio in reparatione posita est. At, partium consistentium, alia prorsus ratio. Aliquid ex his abradi vel deteri, nullum est indicium. Iisdem novum quid in dies addi, quotidiana observatio docet. Non enim aliunde pueri juvenesque crescunt ; adulti firmantur ; rigidantur senes & occalescunt. Nec aliud ex durissimis vetustiorum animalium carnibus innotescit. Quod si partes solidæ assidue detererentur, tamdiu possent refici, quamdiu foret in corpore aliquid succi alibilis. Sic nemo unquam senio conficeretur : nisi forte ultra detrimentum excurreret reparatio. At quum ex cujuscunque nostrum arbitrio pendeat, cum magis exercere corpus ; unde consequens foret partes nimium nutritas deteri, tum alimoniam sibimetipsi diminuere : cuivis etiam foret perfacile perpetuum servare juventæ florem. Quamobrem planum fit, partes solidas non deteri ; sed a primo ortu ad ultima fata sensim augescere. Harum igitur nutritio, non restitutio est deperditorum, sed continuata novarum particularum adjectio. Atque quum per longum illum incrementi tractum, eadem in illis natura indolesve perstet ; sequitur iis congeneres esse nutritias particulas, quæ iisdem perpetuo accrescunt. Alias aliis partibus nutriendis requiri, olim creditum est : quum in partes spermaticas & sanguineas totum corpus dispescebatur. Sed jam solertiori Anatomia duce, nemo dubitat amplius, quin partes omnes solidæ, ejusdem sint naturæ. Liquet igitur omnes eodem succo nutriri. Porro diversi, diverso motu, varia per vasa humores feruntur. Itaque non sunt omnes nutriendo apti. Non enim, ad peragendum nutritionis opus, sufficit propria temperies, internave particularum succi nutritii dispositio. Alia requiruntur, quæ spectant ejusdem succi distributionem & applicationem. Solus ille vere alibilis censendus, qui, dives particulis accrescere idoneis & solidari, motu uniformi eoque placido jugiter fertur per tubulos minimos, e quibus cæterorum parietes contexti sunt ; ut nulla sit in corpore vel minima pars, ad quam non pertingat.

## II.

CORPORIS partes omnes simul nutriuntur. Totum vero corpus ex vasis constat, quæ ideo simul omnia nutriri planum est. Sed ab humoribus excrementitiis nutritionem expectare, absurdum videtur. Atque hinc inferre licet, non omnia vasa liquore intus fluente nutriri : idque ideo necesse non esse patet ; verum iisdem satis prospectum iri, si modo illorum parietes ab interfuso succo ducant alimoniam. Porro vasorum omnium membranæ vasis aliis intertextæ sunt. Proinde idem dicendum de his omnibus vasis, donec ad minima deveniatur : quæ utpote, membranas habent ex filamentis solidis confectas ; & consequenter per se nutriri, incluso scilicet succo, prorsus opus habent. Minimum quodcunque corporis punctum, minimave particula firma sensibilis, mille hujusmodi minutissima vascula complectitur. Quare nutriri ista non possunt, quin simul partes omnes capiant nutritionis beneficium. Alibilem igitur succum in canaliculis omnium minimis contineri certum est, atque in his duntaxat. Secus, ut liquores variis in vasis lentius moventur velociusve, parcius abundantiusve affluunt ;

ita citius tardiusve vasa singula firmarentur: unde inæqualiter perageretur nutritio. Hæc vero eodem tenore cunctis in partibus procedit. Succus itaque alibilis æquabili uniformique motu circumfertur: ac proinde patet huic vehendo unicum vasorum genus dicatum fuisse. Jugiter vero in suos canaliculos debet influere. Alioqui, facile a majoribus compressi, brevi coalescerent; semelque occlusi, non reserarentur unquam. Sic corpus cito tabesceret. Jam, ut alibiles particulæ internis minimorum tubulorum parietibus applicentur, nulla vis adhiberi potest. Huic sustinendæ impar est illorum summa tenuitas. Miramur quarumdam in corpore membranarum stupendam gracilitatem: *arachnoides* vocant Anatomici. Attamen vasis constant quibus nutriuntur. Quanto itaque graciliores sunt horum vasculorum membranulæ! Et certe perexigua est, ut jam dictum, materiæ solidæ portio, in qua totum corpus consistit. Vasorum vero numerus, ultra omnem fidem ingens. Tenerrimum ergo est, & levi molimine disrumpendum, subtemen telarum ex quibus convolutis vasa minima conflata sunt. Ergo, qui in illis est succus nutritius, non rapido truditur impulsu, sed lento placidoque influxu tacite labitur: unde ejus particulas non infigi manifestum est, sed agglutinari. In his itaque requiritur peculiaris indoles, qua possint vasis adhærescere. Parvi tamen foret ista quasi glutinis natura, nisi semel inuncatæ jamque quiescentes, concrescere ultro possent seu rigidari. Namque corpora nutritione obfirmari constat. Huic porro nutrientis succi agglutinationi atque concretioni, lentus ille placidusque motus, quem solum vasa minima ferre possunt, valde opportunus est. Atque hinc elucet rursum, nutritionem in vasis aliis peragi non posse: in quibus nimirum liquores velocius currunt.

## III.

INSECTIS animalculis, quæ microscopiorum ope perspiciuntur, suos humores inesse debere, omni licet arte inconspicui sint, nemo non fatetur. Ergo licet in nervis cavum nullum optima microscopia patefaciant, fatendum tamen humorem quemdam in illis contineri posse. Num revera contineatur, quandoquidem oculorum acies nihil hic valet, alia via inquirendum. Solidas quascunque corporis partes indurari observamus, quando singulæ illarum particulæ liquore quopiam interfuso non sejunguntur ab invicem. Sic in viventibus solidescunt vasa quum suis humoribus destituuntur. Sic cadaverum partes quælibet, difflato quicquid liquidum est, siccantur, novam mollitudinem recuperaturæ, si novo imbibito humore maduerint. Partium igitur mollium quarumlibet, speciatim vero medullæ cerebri, cerebelli, spinæ & nervorum, particulæ consistentes, humore intermedio ab invicem disjunguntur. Humorem illum, cæterorum instar, continenter moveri necesse est. Movetur autem, vel a partibus singulis, per nervos, versus cerebrum cerebellum & spinam; vel ab his versus partes singulas. Utro? effectus docebunt, si qui sint ab hujus humoris influxu oriundi. Arcte constricto nervo, perit sensus a ligaturæ loco ad ultimos nervi ramulos: ab eodem ad caput spinamve, nulla mutatio. Vis itaque sentiendi nervis propria non est; sed pendet ab adjuncta iis qualitate, quam ligatura in subjectis partibus supprimit. Porro ligato nervo, duo tantum subsequuntur. 1°. Ejus parietes in loco constricto sibi mutuo propiores fiunt. 2°. Influentis liquoris cursus præpeditur. Horum effectuum prior (spectatus in se, & supposito quod nullus in nervis contineatur

humor) nihil facit ad ſentiendi vim. Senſus ſiquidem, vel ubique fit; vel in cerebro tantum, propagata eo uſque nervi motione. Si primum, ligatio nervi nihil mutat in ſubjectis partibus. Si poſtremum, motionis propagationem non intercipit: ut in organi muſici fidibus imitari perfacile eſt. Quamobrem, utrumvis arrideat, patet ſentiendi vim a ligaturæ primo effectu nullatenus ſupprimendam fore. Reſtat itaque ut hæc humori cuipiam, per nervos, a cerebro cerebello & ſpina fluenti, viam intercludat. Quem quidem humorem a ſanguine arteriarum, quæ nervis inſunt, diverſum eſſe nec ab eo derivari, inde cognoſcitur, quod ablata, corrupta, compreſſave inſigni quadam cerebri parte, nervi inde prodeuntes ſentiendo inhabiles fiant: licet in arteriis, quæ utpote ad illorum membranas pertinent, nihil fuerit immutatum. Peculiaris ergo eſt ille liquor, qui nervos influens iis ſentiendi vim impertit: atque ſuam in cerebro, cerebello & ſpina originem habet: ſcilicet à ſubſtantia cineracea, cui medulla juncta eſt & continuata; ideoque a ſanguine huc per arterias appellente. Porro idem ille eſt liquor, qui placido juxta & æquabili paſſu, influxu jugi, per canales minimos, ad omnes omnino corporis partes ducitur, iis, particularum ſuarum agglutinatione, molem additurus atque firmitatem.

## IV.

QUATUOR inſignes arteriæ, quibus ſanguis ad caput indeſinenter defertur, in ipſo calvariæ ingreſſu depoſita fortiori tunica, mollius exinde pulſant. Mox abeunt in ramos (a) *amplos, nullamque cum ſuis truncis proportionem ſervantes*; in quibus, utpote latioribus viis, ſanguis non poteſt non relenteſcere. Tum & compluribus anaſtomoſibus ſibi invicem committuntur: ſic ut occurrentium ab oppoſito ſanguinis rivulorum impetus, mutua colliſione frangatur. Deinde in cineraceam ſubſtantiam immerſæ, vix credibile quam numeroſas, fere in immenſum diviſæ, efforment ramorum propagines, & quam longe graciliores adhuc in ſurculos tenuentur ramuli, jam nudis oculis fere non conſpicui. Itaque in majoribus truncis tardatus ſanguis, tot in anguſtiſſimis tramitibus mille patitur affrictus & mille pariter moras. His addenda inſuper eſt minutiſſimorum tubulorum tomentoſa mollities, reſtinguendæ motus velocitati procul dubio aptiſſima. Hanc demum ipſa venarum directio imminuit. Harum ſiquidem magna pars, in ſinum *longitudinalem*, ſuum ſanguinem ita effundit, ut ſinus fluentum feriat e directo: quo fit ut nec venæ in ſinum, nec arteriæ in venas facile exonerari queant. Tot ex cauſis impeditus ſanguis, per cineraceam ſubſtantiam lente admodum trajicitur. Nec ulla eſt duræ meningis contractio*, qua ſanguinis motus accelerari poſſit, ut opinantur nonnulli. Quaſi illa membrana poſſet a cranio recedere, cui pluribus in locis ſtricte adnexa eſt: aut, ut poſſet, præſto tamen eſſet aër vacuum locum occupaturus. Jam, motus ſanguinis in cerebro, ut remiſſus admodum, ita ſemper æquabilis eſt. Cætera fere incernicula, aut reſpiratione, aut

(a) Ridley, anat. cereb. cap. VI.

* *Excidi*, inquit Ridley, anat. Cereb. cap. VI. *ſuperiorem partem cranii canis vivi, qua ratione dura mater cum tertio ejus ſinu longitudinali nuda viſui & tactui objicitur. Neutro autem ſenſui, ulla pulſatio, ſive membranæ in genere, ſive ſinus, vel minimum prima fronte diſcerni potuit .... Sed poſt vaſorum depletionem* (aperto ſinu) *eouſque ut membrana paulo laxior fiat, pulſatio valde conſpicua redditur cum in ſinu, tum etiam in membrana.* Quum nempe relaxata dura meninx, ſubtus pulſanti cerebro cedere poteſt.

contractione musculorum, varie concutiuntur. At vero cerebrum ab omni commotione liberum est. Ergo humor in cerebro secretus (e sanguine ibidem assidue, lente, æquabiliter circumacto) lento & æquabili passu medullares ductus & protensos ab iis nervos jugiter influit. Quantulos porro canales! Et quænam acerrima vis imaginandi, æstimare dabit illorum exilitatem! Injecti liquoris ope, numerum incredibilem vasorum in cortice cerebri ars detexit. Horum minimi ramuli, per microscopium visi, tenuissimi apparent. At, quantum hoc perspiciendi modo objectorum species amplificatur! Sed vasa *injectionibus* ultra suam diametrum distendi, notum est. Quare longe minor est adhuc istorum vasculorum vera, seu naturalis tenuitas. Arteriæ tamen sunt; siquidem injectus liquor per venas non redit. Ergo intermedii alii sunt tubuli multo sane tenuiores, ideoque *injectionibus* prorsus impervii. Quales igitur sunt angustiæ canaliculorum sanguini impenetrabilium qui ab his procedunt; eorum scilicet ex quorum aggerie fibræ medullares cerebri constant! Poros cutis angustissimos esse, nemo nescit. Visus tamen est sanguis per illos sudare. Idem ille exiguissimos capillorum meatus in *Plica Polonica* pervadit. Quanto tenuioribus tubulis medulla cerebri conflata est, quæ, nunquam non albissima, omnem omnino sanguini denegat ingressum, & ad quam injectus quicunque liquor, vel tenuissimus, nusquam potuit pertingere! Prodigiosa profecto est horumce tubulorum exiguitas. Nec sane alios in corpore minores esse, ullus est suspicandi locus. Enimvero ex illis reliquorum omnium membranæ contextæ sunt. Elongati, constituunt nervos. Nervis caret nulla in corpore vel minutula pars; quippe nulla caret sensu. Ipsa ossa & cartilagines, membranæ fuerunt primitus, sensu quoque donatæ, pariterque ideo ex nervis coaluerunt. Id ex senio colligitur. Atque a nervis producta fuisse prima corporis stamina, ex fœtus formatione manifestum fit. Nervosum ergo est totius corporis subtemen. Hinc, dum in diversis vasis diversisque partibus varii liquores insunt, succus nervorum toti corpori communis, omnes & singulas ejus partes alluit. Quantumvis autem exilibus tubulis vehatur, minime tamen putandum, illum esse instar spiritus cujusdam aërisve subtilissimi. Sanguis, ut ut spissus satis, insensibiles ultimarum arteriarum ramulos permeat: crassiorque chylus insensibilia vasorum lacteorum oscula ingreditur. Vulneratæ vere aut autumno arbores, foraminibus occultis succum plorant, ut plurimum densum & sequacem: &, qui in quarumdam arbuscularum baccis lentor deprehenditur, eo ductus est per fibras, si fides oculis, solidas prorsus nec penetrabiles. Cur ergo nescio quos æthereæ naturæ spiritus, aut tenuatissimum vaporem nervis inesse crederemus? Quæ certe cum succosa cerebri substantia parum congruunt. (*a*) *Sectis medullæ fibris, copiosum quemdam succum ovi albumen referentem, igneque concrescibilem emanare, ut in secto brachii nervo, observari*, ait Malpighius. Eodem asserente, plures alii *excellentes viri* (b), *interrupto naturæ ordine, ex morbosa aliqua constitutione, aberrantem copiosam concrescibilis hujus seri collectionem, in cerebri substantia* conspexerunt. Hic porro succus, quum interruptæ non sunt viæ, diditur in nervos. Hujus particulas, difflatis aquosis, inibi solidescere aptas esse, evidens est: siquidem igne concrescere observatur. Et profecto, si volatili tantummodo subtilissimoque spiritu nervi pleni essent, membranæ, quæ ex acutiori sensu nervosæ esse, ac proinde liquore nervorum præ cæteris

(*a*) Malpighii Dissert. de Cereb. cort. cap. IV.

(*b*) Idem Dissert. epistol. de cereb. ad Fracassatum. Vide etiam respons. Fracass.

partibus abundare intelliguntur, molliori etiam rariorique forent substantia; quum ex adverso, & citius firmentur, & evadant firmiores, & in cartilaginum ossiumque duritiem plurimæ convertantur.

## V.

FIRMAS quascunque partes corporis, nervosis fibrillis primodum constare; has, turbulos esse omnium minimos, peculiari quadam repletos lympha, assidue, placide, æquabiliter influente: hujus vero lymphæ particulas, accrescere & solidari idoneas esse, hactenus tentatum fuit ostendere. Ex his ultro consequeretur, eamdem illam nervorum lympham vere nutritiam esse. Sed forte refragabuntur nonnulli, assueti scilicet pernegare omnem cujuslibet humoris in nervos influxum; eo quod huic revehendo humori, canales nulli a Natura facti fuisse videantur. Nullæ siquidem conspiciuntur horumce canalium, si qui sint, cum nervis commissuræ. Sed neque etiam venarum cum arteriis, quas tamen committi certum est. Inventa vero sunt in corpore vasa, quæ ab origine, quam (a) *nemo hactenus detexit, sed quæ anatomicorum etiam dexterrimorum fatigavit animos*, ducunt in venas liquorem quemdam pellucidum, illimem, ab igne instar albuminis ovorum concrescentem, quem pro lympha a nutritione residua fere omnes habent. Quidni hujus humoris saltem magna pars, e nervis in dicta vasa effundi crederetur; ita ut ista vasa, quoad nervos, venarum vices adimpleant? Si *Bartholino* fides, (a) *nulla via commodior inveniri potest*, quam ut *ex nervorum summis particulis* (vasa lympharica) *progrediantur.* Quæ sententia Cl. etiam virorum (b) *Glissonii*, (c) *Nuckii*, (d) *Ridleyi*, (e) *Vieussenii*, (f) *Boerrhaavii* aliorumque suffragio firmata est. Certe ibi frequentiora occurrunt vasa lymphatica, ubi, ut in membranis omnibus, plures desinunt nervi. E contra in iis locis unde nervi exeunt, nulla repeDriuntur. *Nuckius* horum vasorum accuratissimus indagator, postquam ea in cerebro diu multumque quæsivisset, *Nunquam*, (g) inquit, *hac in parte, ut ingenue loquar, hactenus scopum attingere potui.* Pariter *Vieussenius* de vasis cerebri agens, suum de lymphaticis silentium ita excusat: (h) *Tractatum istum mancum videri maluimus, quam falsa supponere, aut saltem ea quæ nunquam detegere potuimus.* Adhæc, quemadmodum succus alibilis fertur per nervos, sic suis in vasis lympha labitur. Ille tardigradus est: hæc hæreret prorsus, nisi frequentissimarum valvularum adminiculis in suo progressu juvaretur. Demum, quo momento moritur animal, tubulorum nerveorum latera, jam non impulso ab arteriis liquore distenta, proprio respondent elateri, acceduntque ad axim. Sic interfluus liquor propellitur adhuc, quum jam in sanguine nullus motus adest. Ergo si lymphatica liquorem nervorum referunt, fluat adhuc lympha necesse est aliquanto tempore post mortem. Atque id ipsum omnium anatomicorum observationi consentaneum est. Rationi igitur non incongruum videri debet, succum alibilem, specie insensibili, per nervos delatum ad partes, ab iis, forma visibilis lymphæ, per vasa lymphatica ad communem sanguinis alveum refluere. Sed jam succi nutritii tarditas & lentor, quæ a vulgata spirituum subtilitate ac pernicitate tantopere distant, exsequendis

(a) Nuck. Adenogr. cap. IV.

(a) Thom. Barthol. hist. vas. lymph. cap. V.
(b) Anat. Hep. cap. ultimo.
(c) Adenog. cap. II. III.
(d) Cereb. anat. cap. XI.
(e) De Cereb. cap. XX.
(f) Instit. Medic. § 292.
(g) Epist. anat. de inventis novis.
(h) De Cereb. cap. VI.

nervorum muniis parum accommoda videbuntur. Verum, quæ ex parte *ſenſationum* naſcitur difficultas, inde eſt, quod, ex Philoſophorum placitis, receptum ſit, motus quorum occaſione *ſenſationes* fiunt, a partibus ad cerebrum propagandos eſſe. Id vero neceſſe non eſt. Senſationum ideas ex nervis mens immediate percipit. Quoties alicui nervorum parti impreſſio quædam inaſſueta ſupervenit, ita ut hanc, cum ſuis involucris, liquor intus fluens participet, toties in mente ſuboritur perceptio quæ *ſenſatio* dicitur. Quod ſi vel ſupprimatur liquoris hujus influxus, vel, eodem remanente integro, impreſſio debilior in involucris nervi deſinat, nullus excitatur ſenſus. Ad hunc ergo nihil refert, humor nervorum tardigradus ſit an celer, lentus an ſubtilis. Impreſſus quippe motus ad cerebrum retrogredi non poteſt. Quod attinet motum muſculorum, ſcire licet illorum fibras nervoſis tendonum fibris continuatas, lympha nervoſa plenas, pariterque tenſas, eſſe. Hinc muſculi *ſphincteres* omnes ſemper contracti ſunt. Hinc naſcitur inter muſculos antagoniſtas naturale æquilibrium. Hinc duorum hujuſcemodi alteruter, vel paululum depleatur, vel repleatur ſolito pluſculum, alteruter contrahetur. Verum ſi ideo moveretur muſculus, quod antagoniſtam depleri relaxarique contingeret, vires ab exercitio colligeremus, nedum diſſiparemus. Voluntaria igitur contractio muſculi, inde fit quod illius fibræ magis repleantur. Atque ad illud ſufficit, ut, pro mentis placito, aliquid humoris e ſuo * diverriculo in nervum ex abundanti immittatur. Sic humoris hujuſce guttula, nervo (jam quantum potis eſt repleto) derepente ſuperindita, humorem ſimilem in eo contentum ita protrudet, ut, nulla prorſus interpoſita mora, fibræ carnoſæ muſculi, uberiori accepto ſucco, tumeant, & brevientur. Citra omnem ſpirituum *exploſionem*. Citra ſalium & ſulfurum effervescentias. Citra aërei *elateris* explicationem. Quin etiam citra ſanguinis concurſum. Nimirum, in eo duntaxat utilia ſunt arteriarum venarumque glomeramina, ex quibus muſculorum caro confecta eſt, quod fibras nervoſas ab invicem disjunctas teneant. Quippe fibræ medullares in nervis & tendonibus ſibi invicem addenſatæ, fortibuſque membranis ſimul colligatæ, ex uberiori humoris affluxu dilatari neutiquam poſſunt. Sed eædem in carne muſculoſa disjunctæ ab invicem, facillime diſtenduntur. Erant enim, ante novum affluxum, in æquilibrio cum circumfuſis vaſis ſanguineis. In his nihil immutatum fuit. Quare neceſſario cedunt & comprimuntur, ſimul ac nervoſæ fibræ appulſum de novo ſuccum admittunt eoque turgeſcunt. Sic, vacuatis venis præcluſiſque arteriis, contractus muſculus palleſcit. His porro effectibus producendis neceſſaria nullatenus eſt in humore nervorum, vel tenuitas, vel pernicitas ſumma, quæ volatilibus ſpiritibus competit. Ergo, ut *ſenſationibus* excipiendis, ita peragendis motibus muſculorum, inhabilis non eſt ſucci alibilis aut tarditas, aut lentor. Nunquid itaque nunc dubii ſupereſt, quin ſuccus ille contineatur in nervis? *Medullarem ſubſtantiam* (a), inquit *Vieuſſenius*, *a cinerea, in qua veluti radicatur, defœcatiſſimum ſuccum lymphaticum, quo nutriatur, depromere* (a) De Cerebro, cap. VI.

* Eſſe hujuſmodi diverticula, quæ ſuccus nervorum præterfluendo implet, & e quibus depromitur quicquid hujus ſucci erogatur in muſculorum motus, eumdemque idcirco non ſecerni abundantius ad voluntatis nutum, is ſibi facile perſuadebit, qui attendet, minimis ſed iiſdem motibus diutius protractis muſculos fatigari, ita ut cogantur feriari aliquantum: rurſum tamen fieri vegetos, eo ſolo quod interquieverint paululum, ac licet ſanguis interea nullomodo fuerit reparatus.

*necessum est. Quia si arteriolis ad proprium nutricatum indigeret, par esset ubivis earum numerus; quum par ubivis debeat esse nutritionis ratio.* Tum &, plurimis ramis hinc inde diffusis, in medulla terminarentur arteriæ; quæ e contra (a), *ipsam tantum permeare videntur, ut ad cinereæ substantiæ* loca diversa *perveniant*. Quod si medullæ lympham ibi nutritiam esse oportet, sequitur omnino, eamdem in nervis quoque esse alibilem; ac proinde ab ea pariter cæteras quaslibet partes nutritas iri. Denique rem penitus secat illa, quæ nervorum resolutioni (etiam a fortuito alicujus partis vitio inductæ, cunctisque humoribus cæteroquin integris) atrophia nulla arte sanabilis nunquam non succedit.

(a) Idem. Ibid.

*Solus ergo nervorum succus alibilis est.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Joannes-Baptista Du Bois, Chirurgiæ Professor, Serenissimæ Principis primæ Dotariæ de Conty Medicus, & Professor Regius.*

*M. Guillelmus-Josephus de l'Epine, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.*

*M. Ludovicus-Hyeronimus Cosnier.*

*M. Ludovicus-Joannes le Thieullier Regis Consiliarius & in Majori Consilio Medicus ordinarius.*

*M. Nicolaus le Roy de Saint-Aignan.*

*M. David Vasse.*

*M. Claudius du Cerf.*

*M. Claudius Vergne.*

*M. Jacobus-Benignus Winslow Regiæ Scientiarum Academiæ Societatisque Regiæ Berolinensis Socius, Teutonicæ Linguæ Regius Interpres.*

Proponebat Parisiis, LAURENTIUS FERRET, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1737. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1737.